

Christoph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Christophorus Redeker, Iuris Utrisque Doctor
& Profess. Publ. ad ... Exequias ... Virginalae Dorotheae, filiae ... abs
moestissimo Patre Viro ... Dn. Johanne Sibrando, I.U.D. & Antecessore huius
Academiae ... paratas Omnium ordinum ac dignitatum Cives Academicos
officiosissime invitat**

Rostochii: Weplingius, [1685]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774761849>


Druck Freier  Zugang



Redeker, Chr.,
in
D. Sibrand.
Rostock. 1685.


3





RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

CHRISTOPHORUS
REDEKER,

 Jure Utriusque Doctor ac Profess. Publ.
ad frequentandas ex merito
EXEQVIAS,
NOBILISSIMÆ, MELLITISSIMÆQUE VIRGUNCULÆ

DOROTHEÆ,

filia, nunc eheu! desideratissimæ

abs moestissimo Patre

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO & CON-
SULTISSIMO

DN. JOHANNES
SIBRANDO,

J. U. D. & Antecessore hujus Academiae Ce-
leberrimo, Fautore, Collega & Amico honoratissimo
pie solenniterque paratas

Omnium ordinum ac dignitatum CIVES ACADEMICOS
officiosissime invitat.

ROSTOCHII, Typis JOH. WERPLINGII. Acad. Typogr.



Primum hoc funus est,
quod efferendum indicare
debui publico Programma-
te. Erepta est suis Parenti-
bus, quos veneror, filia mellitissima, do-
num illud Dei charissimum, & quidem
eâ ætate, quæ à tumulo aliàs creditur lon-
gissime remota. Vix per novendecim
menses viderat Dorothea nostra lucem,
cum luce naturali amplius frui denegaret
lex naturæ. Vix mundum ingressa, cum
egressus iterum juberetur; ita horam mortis
incerta est, certissima autem mors ipsa,
omnibus moriendum est. Quando verò
hoc omnibus ignotum est. Cur autem Do-
minus noster hoc incertum esse voluerit,
Gregor. in homil. id testatur dicens: *Horam
ultimam idcirco Deus noster nobis voluit esse incognitam,
ut semper possit esse suspecta, ut dum illam prævidere non
possumus, ad illam sine intermissione properemus.* Et
Augustinus de disciplina Christiana: *latet, in-
quit, ultimus dies, ut observentur omnes dies.* Mortis
igi-

igitur quilibet semper sit memor, sit vita
nostra meditatio mortis; *Nihil, aqve nobis pro-*
ficiet, ex sententia divi Hieron, ad temperantiã
omnium rerum, quã frequens cogitatio brevis avi S.
hujus incerti. Quicquid facies, respice mor-
tem. A morte omnia pendent, vita æ-
terna aut æterna mors: Gehenna aut glo-
ria, malum aut bonum, omnia pendent à
morte. Memor igitur sis mortis, ne te
mori pœniteat; *in quo, enim juxta Aug.*
ad Dioscor, quemqve invenerit suus novissimus di-
es, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies, quo-
nam quavis in die isto moritur, talis in illo die judicabitur.
Cautè igitur moriendum, quod tamen si-
ne meditatione mortis quotidianâ fieri
non potest, sive Ethnici fuerint sive Chri-
stiani qui ultimũ naturæ debitum persol-
verunt; licet hi certam spem resurrectio-
nis, illi vero dubiam modò habuerint,
semper solliciti fuerunt de morte. Plato
vitam sapientum nominabat meditatio-
nem mortis. Cicero dicit dies noctesqve
cogitandum est, jam jamq; moriendum

esse. Nota quoque illa salutatio, quam
cubicularius Regi suo Philippo, Alexan-
dri Patri, facere debebat: Cogita, ô Rex
te esse mortalem. Maximilianus opti-
mus imperator, ut memor esset mortis,
per quinquennium & amplius feretrum
secum duxit. Dulcis equidẽ memoria est
mortis, nam mors ipsa multum dulcedi-
nis secum semper fert, quid enim mors est
aliud piis, quam depositio sarcinæ gra-
vis? finis tot ærumnarum, miseriarum, cu-
rarum? felix igitur, terq; quaterque felix
ille qui bene mortuus est, immaturus
occiderit seu maturus ævi ille enim co-
gitet à Deo se esse vocatum, ne diutius ve-
xetur à noxiis: Hic è contra perpendat,
quod sit exemplū, quo & alii bene vivere,
& bene mori discant. Quippe ineptiæ jux-
ta Ciceronem sunt penè aniles: *Ante tem-
pus mori miserum esse*, quale enim tempus
desideras, nonne naturæ? vitam dedit

no-

nobis mutuò Deus nullo præstituto die!
non igitur qveramur quod repetat eam,
quando vult. Non refert, quot annos ha-
beam juxta eundem Cic. sed quot acce-
perim, verba enim ejus sunt: *Si plus vivere
non possum, hæc est mea senectus. Quicumque ad extre-
mum sui fati venerit, hic moritur senex.* Filiola i-
gitur Consultissimi, Excellentissimiqve
Dni. D. JOHANNIS SIBRANDI, felix
habenda fortunataqve, bene enim mor-
tua est, licet non diu vixerit. Non ex
diuturnitate vitæ, sed ex morte omnis fe-
licitas existimanda. Ut autem vitam
morbum & mortem mellitissimæ ani-
mulæ solito more apponam, eo ordine,
quo ab Excellentissimo Parente, Fautore
atq; Collega plurimū dilecto, mihi præ-
scripta ea omnia sunt, referā. Nata scitissi-
ma hæc puella hîc Rostochii & quidē an-
no, reparatæ Salutis MDC LXXXIII. die
XVII, Decemb, Prima optimorum Pa-

A 3

ren-

rentum cura fuit, Christi Servatoris familiae, per salutarem regenerationis lavacrum insertam aeternae vitae reddere heredem, instillavit deinde suas Mater virtutes, humanitatem, modestiam & quae aetatem maxime teneram ornat, infucatam pietatem cum lacte proprio, ne, quod fieri nonnunquam solet, simul cum nutricis alienae lacte vitia etiam & mores improbos inbiberet. Nec mirum quod nostra quoque desideratissima propterea multa de se eximia Parentibus promitteret, magnam quoque de scitissimam Natam Parentes, Cognatique, spem conciperent. Verum Deo aliter id visum est, dulcissimam nempe nostram DOROTHEAM avocare, ne calamitatibus humanis obnoxia esset planta illa caelo destinata. Avocavit igitur illam die XXIX. Aprilis circa horam V. vespertinam anni huius currentis M. DCLXXXV. Ne quoque maiores tacitus praeteream: Patrem habuit mellitissima defuncta, saepius bene nominatum & de nostra Academ. meritissimum Dominum JOHANNEM SIBRANDUM, Antecessorem Excellentissimum, Fautorem, Collegam & Amicum honoratissimum. Matrem vero omnigenam muliebri virtute conspicuam BARBARAM CARSTENS. Avus Paternus ipsi extitit HEINRICUS SIBRAND U. J. D. atque Nobilissimorum Ordinum Meklenburgicorum Syndicus dexterrimus, Avia CATHARINA Deutschen/


ſchen / femina egregia: Avus Maternus fuit Vir
Nobiliffimus atqve Excellentiffimus Dominus JOA-
CHIMUS CARSTENS U. J. D. quondam Serenif-
ſimi Principis ac Domini Domini AUGUSTI Sa-
xonix, Angariæ & Weſtphaliæ Ducis Glorioſiſſimæ
memoriæ Cancellarius, dein Liberæ Civitatis Impe-
rialis Lubecenſis Syndicus Primarius. Avia Ma-
terna ELISABETHA à WICKEN ex Nobiliſſima
Patritiorum Lubecenſium familia oriunda. Proavū
paternum habuit DN. JOHANNEM SIBRAN-
DUM U. J. D. & P. P. nec non Syndicum hujus Ci-
vitaris meritiſſimum. Proaviam agnovit pater-
nam ANNAM SCHILINGIAM Conſulis hujus Ci-
vitaris primarii unicam filiam, Matronam ſpectatiſſi-
mæ integritatis. Proavus maternus fuit DN. NICO-
LAUS CARSTENS Conſul Salzwedeliensis quon-
dam fulgidiffimus; ex altera linea THOMAS
à Wicken / Senator & Camerarius Lubecenſis præ-
clare meritus. Hi ſunt majores, quibus ſuam ori-
ginem Tenerrima, nunc cheu! Deſideratiſſima
DOROTHEA debet. Cujus cum defunctæ Corpuf-
culum, terræ, matri communi, hodie horā prima ite-
rum ſit reddendum, noſtrum omninò erit, CIVES
OMNIUM ORDINUM HONORATIſſi-
MI, pulcherrimæ ſvaviſſimæqve puellulæ exequi-
as, digniſſimā frequentiā, celebrare, Pietatiſqve of-
fici-

scilicet præstare, & iusta solvere. Exigit enim hoc
ipsa erga mortuos benevolentia; Exigit hoc erga
Nobilissimos defunctæ populæ parentes gratus
animus, Exigit hoc Defunctæ nostræ Affinium atque
Amicorum benevolus in Nostram Academiam affe-
ctus Ex Officio igitur, quo in præsentiarum fun-
gor, omnes cujuscunque ordinis Cives Academicos;
prout cujusque dignitas vel status ratio exposcit,
rogatos volo, ut hora post meridiem prima in æde à
D. Nicolao sic dicta frequentes conveniant, funeris-
que hanc deductionem honorifica sua præsentia
auctiorem augustioremque efficiant; ita suum
quisque fatum pariter secum in animo
reputabit. Valet.

Publ. Rostochii 4. die Maji, Anno 1685.

Convenietur in æde D. Nicolao sacra hora prima
pomerid.







nobis mutuò Deus nullo' præ
non igitur qveramur qvòd re
qvando vult. Non refert, qvòt
beam juxta eundem Cic. sed
perim, verba enim ejus sunt:
non possum, hæc est mea senectus. Qvicum
sum sui fati venerit, hic moritur senex.
gitur Consultissimi, Excellen
Dni. D. JOHANNIS SIBRA
habenda fortunataqve, bene e
tua est, licet non diu vixerit.
diuturnitate vitæ, sed ex morte
licitas existimanda. Ut aut
morbum & mortem mellitiss
mula solito more apponam, e
qvo ab Excellentissimo Parente
atq; Collega plurimū dilecto,
scripta ea omnia sunt, referā. Na
ma hæc puella hîc Rostochii &
no, reparatæ Salutis MDC LX
XVII, Decemb, Prima optimo

A 3

